



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. De muliere 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

Alius modus dissolvendi sponsalia licet jurata hoc Cap. traditur, videlicet propter discessum sponsi. Consultus enim S. Pontifex ab Archiepiscopo Panormitano, quid statuerendum esset de mulieribus, quarum sponsi post sponsalia contracta, & jur. urando utrimque confirmata, inscius iis ad exteras nationes se contulerunt; Respondet hoc textu nostro, liberum esse mulieribus cum aliis inire matrimonium, dummodò res adhuc integra sit, hoc est, si consensus de presenti, vel carnis copula noncum intercesserit: nam per copulam transeunt sponsalia in matrimonium, *c. 1. s. qui fidem penult. ubi latius inf. eod.* imposita tamen mulieribus penitentia, si per eas itererit, quo minus matrimonium sit subsequutum.

Hujus decisionis ratio ex eo pendet, quòd sponsus, imprudente sponsa, solum mutando, & aliò se recipiendo censetur contemnere sponsam ex parte sua, & consequenter renuntiare sponsalibus: unde & sponsa eadem potestas renuntiandi relicta intelligitur; ita quòd hoc modo sponsalia utriusque discessu, sponsi scilicet & sponsæ, solvi intelligantur, *c. 2. hoc tit.* Dominicus Soto in *lib. 4. Sentent. dist. 27. quest. 2. art. 5. circa fin.* Quare hic non simplicem discessum aut abitum sponsi intelligimus, sed qui fit cum mutatione domicilii, sicut hic rectè notat Panorm. sub num. 2. & verba ipsa indicant, dum ait textus: *dimittunt terram, se ad alias partes transferentes.* Nam dimittere & transferre hic cum effectu accipienda sunt. Neque enim qui ex aliquo loco animi gratia vel negotii conficiendi causâ aliò se confert, dicitur dimittere terram, *l. Clam possessi l. 6. §. qui ad nundinas D. De acquir. velomit possess.* quemadmodum nec studiosus studiorum causâ, sed retinet prius domicilium, *l. 2. C. De incolis lib. 10.* Quare discessus iste, qui animo redeundi fit, non inducit tacitam renuntiationem sponsalium.

2. Quod autem interpretes ad hoc Cap. accersunt

l. 2. C. De sponsal. in qua biennium præstituitur sponsæ, si sponsus absit, sed tamen agitur eadem provincia, vel triennium, si extra provinciam peregrinetur, *l. 2. C. De repud.* non convenit textui nostro. Nec enim eo queritur, ad quod tempus sponsus absens expectari debeat, sed an statim relicta sponsa nubere possit alteri? Et respondeatur eam posse, propter rationem supra allatam.

Attamen si queratur, an sponsa expectare teneatur sponsum peregrinantem, id est absentem, absque domicilii translatione? (domicilium autem transfertur, ubi quis latet, id est, sedem suam, vel summam rerum suarum aliò transtulit, *l. Civis 7. C. De incolis lib. 10.*) respondendum esset, secundum jam dictam distinctionem, *ex d. l. 2. C. De sponsalib. & l. 2. C. De repud.* nisi necessaria causa absentia, veluti valetudo, vel mors parentum vel alia necessitas, longiori tempore sponsum præpediret. Nam expectandus esset, donec cessaret impedimentum, *per text. in l. penult. D. De sponsalib.* Atque hanc distinctionem juris civilis etiam de jure Canonico observandam & retinendam esse existimant Hostien. Joan. Andreæ, Anton. & Sylvester, teste Covarr. in *Epitome de sponsalib. cap. 5. num. 7.* Cum enim hæc res decisa non sit à sacris Canonibus, meritò ad Jus civile confugitur, *per text. in c. 1. inf. De novi operis nuntiat.* Et cur non? cum sponsalia non sint Sacramentum, aut alia res spiritualis sive Ecclesiastica, sed contractus plane civilis, sicut dicam latius *ad cap. Ex literis Silvani 10. inf. eod.* Rectè tamen illi existimant, si sub sit periculum fornicationis in sponsa, posse Judicem Ecclesiasticum etiam intra illud tempus sponsæ gratiam facere inveniendi aliud matrimonium, *ut videre est apud Did. Covarr. jam allegato loco, & facit text. in c. fin. inf. De eo qui cognovit conjug. uxoris suæ, & in cap. Quemadmodum 1. §. 1. quod si post hujusmodi sup. De jurejur.* De cæteris modis solvendi sponsalia videte in Summa mea, & apud alios.

In Cap. De muliere 6.

Proponitur hoc Cap. de muliere invita in matrimonium ducta: sed quia à consulente non exprimitur, qualis vis illata fuerit mulieri, cum inter vim & vim (ut inquit textus) sit

differentia, ideo rejicitur ejus petitio. Exemplo *l. Ut responsum 15. C. De transact.* & dicam latius *ad c. Cum locum inf. h. tit.*